

## Regimen et statuta Kouffungensium.

Edidit Hermannus de Roques.

Statuta monasterii sanctimonialium in Kaufungen transscripta sunt ex codice bibliothecae publicae Cassellanae (*MS. Theol. Fol. 105*), in cujus tegmine inveniuntur haec verba: *Ex bibliotheca antiquissima insignis ecclesiae collegiatae ad S. Petrum Frideslariae. Ceterum in hoc codice contenti sunt triginta octo tractatus spirituales, quibus adscripta est haec sententia finalis: Sub anno Domini incarnationis M<sup>o</sup> CCCC<sup>o</sup> LXXII<sup>o</sup> sabbato proximo post Kyliani martyris, et talis liber pertinet domino Conrado Birwert in Wolmerzhusen.*

In medio supra dictorum tractatum, a folio 207 usque ad 217, *Regimen et statuta Kouffungensium* existunt sine ullo dubio copia et non accuratissima quidem cujusdam documenti originalis in monasterio Kaufungensi olim asservati, nunc autem, ut opinamur, deperditi.

Statuta anno 1400 vel paulo post denuo promulgata esse nobis persuasum est.

\* \* \*

### Lineamenta

historiae monasterii Kaufungensis breviter exposita.

In Hassia inferiori, cui quondam nomen pagi Hasso-Franconici erat, a Cassellis urbe non amplius XIV. milibus passuum ad orientem versus distans, situm erat monasterium Kaufungen<sup>1)</sup> dictum, cujus incolae quondam fuere virgines ordinis S. Benedicti. Id jam nono saeculo p. Chr. n. a comitibus de gente Billungiorum, qui regionem istam ad Vierram sitam temporibus Caroli Magni imperatoris possidebant, conditum, insequenti saeculo ab Hungaris deletum atque dirutum fuisse satis credibile nobis videtur.

Deinde imperator Henricus II. intercedente Cunigunda imperatrice novum monasterium ibidem instaurari fecit anno Domini, ut equidem opinamur, 1018 et abbatissam ei praeposuit Juttam, comitissam de Egenesheim imperatrici ipsi cognatam. Tum imperator dono, quod jam anno 1008 uxori dederat, scilicet curtem suam regiam Cassellanam cum villis circumjacentibus, multa alia praedia in Hassia, in Thuringia et in Westphalia addidit, nec defuerunt juxta Mosellam fluvium nonnulla, ne vino carerent monasteriales.

<sup>1)</sup> Villa, in qua situm erat monasterium Kaufungen. olim et nunc *Ober-Kaufungen*, i. e. Kaufungen superior, nuncupatur.

Primo post mortem imperatoris anniversario, eadem die, qua dedicatio ecclesiae monasterialis S. Crucis in Kaufungen celebrabatur, id est die 13. mensis Julii 1025, sancta imperatrix cultui divino sanctimonialis se dedicavit nonnullis episcopis praesentibus. Abinde per 15 annos mortificationis et sanctitatis exercitiis, officio divino nec non infirmorum pauperumque curae totam se obtulit usque ad mortem, qua obdormivit die tertia mensis Martii anno probabiliter 1039.

Anno 1086 Henricus IV. imperator monasterium adhuc liberum et soli imperatori subditum contra jus et fas episcopo Spirensi donavit in plenam proprietatem, qui vero status post duo jam saecula delibatus et plane oblivioni traditus esse videtur. Interea enim monasterium in potestatem dominorum territorialium, scilicet landgraviorum Hassiae, sensim crescentem pervenit, maxime postquam advocatia coenobii, primitus ab imperatoribus ipsis administrata, anno 1297 ad Henricum, Hassiae landgravium cognomine Infantem, collata fuit.

Quibusdam causis hoc loco non longius explicandis attribuendum est, quod observatione sanctae regulae relaxata et illibata paulatim disciplina spiritus S. Benedicti cesserit animo magis saeculari, ita ut monasterium illud sanctimonialium in canonicatum virginum nobilium commutatum sit, sicut ex statutis infra sequentibus apparebit.

Status iste depravatus per nonnulla saecula manebat. Anno autem domini 1509 Wilhelmo II. landgravio instigante visitatio apostolica coenobii per quosdam abbates hujus regionis facta id effecit, ut abbatissa Elisabeth de Plesse se abdicaret monasteriumque Bursfeldensi congregationi se adjungeret, quo modo factum est, ut sanctimoniales ad severam sanctae regulae observantiam reverterentur. Sed non prius perfecta fuit ea reformatio, quam abbates visitatores traduxerunt in monasterium Kaufungense sanctimoniales complures monasterii Gehrdensis haud procul a civitate Brakelensi in Westphalia siti, ex quibus unam, nomine Annam de Borch, abbatissam conventui Kaufungensi praefecerunt.

Cum autem paulo post Philippus landgravius novam religionis doctrinam amplexus esset, quapropter coenobia totius Hassiae abolenda esse censuit, neque illud, cujus historiae nos operam dare cupimus, ultro resistere potuit. Ex jussu enim principis et juxta consilium et ordinationem ab illo convocatae synodi Hombergensis anni 1526 vita monasterialis in Hassia abrogata est anno 1527. Eae autem sanctimoniales Kaufungenses, quae tali decreto injusto obtemperare invitae pensiones cum pecunia sumere nolebant, cum anno 1531 expulsae essent, in monasterium supra memoratum Gehrdense se refugerunt, ubi alter quasi conventus Kaufungensis vitam degerunt per annos

complures. Immo novam abbatissam elegerunt Helenam de Fresken post obitum Alfradis de Borch abbatissae, quae vita excessit anno 1534. Sed gradatim in exilio conventus noster Kaufungensis extinctus est.

Corpus patrimonii monasterii Kaufungensis, id est omnia aedificia et praedia cum cunctis juribus atque pertinentiis, Philippus landgravius ordini equitum Hassiacorum tradidit, unde filiae eorum sustentarentur et, cum in matrimonium darentur, dotem acciperent. His usque ad hodiernum tempus praebendis fruuntur nobiles Hassiae filiae.

### Praecipienda lectoribus.

1. Verba quam accuratissime potuimus ex originali exscripta sunt; pari modo ratio scribendi diligenter conservata est, exceptis litteris majusculis, quibus hodiernum modum adhibendum curavimus. Quoniam signa interpunctionis in codice ubique desunt, ea addidimus. Codicis intervalla conservavimus.

2. Ubi quae, si recte legissemus, dubitavimus, signum interrogationis post verbum positum est; quae autem verba sine dubio corrigenda erant, subter textum in forma originali saltem notavimus. Si vero verbum clare legebatur, sensus autem minus clarus erat, tunc nota (sic!) post verbum posita est.

3. Quae in parenthesibus angularibus posita sunt, superflua et quasi errores, quae autem in parenthesibus flexis, addenda esse judicavimus.

4. Saepe iterata verba, sicut *ebdomadarius*, *antiphona*, *collecta*, *responsorium* etc., varie modo in abbreviationibus modo integre scripta, plene scribenda esse censuimus, ita non omnino conservantes rationem scribendi manuscripti.

5. Foliorum et columnarum codicis numeri in parenthesibus flexis loco textus quo par erat positi sunt.

\* \* \*

### Regimen et statuta Kouffungensium.<sup>1)</sup>

(Fol. 207 III.) Hec sunt statuta uel obseruancie seu ebdomadariorum<sup>2)</sup> in monasterio sancte crucis in Kouffungen, quod est fundatum anno Domini millessimo VIII. Kalendas (sic!) iunij per beatum Heinricum quondam Bauariae ducem, Romanum imperatorem secundum, et per beatam Kunegundam, filiam comitis palantini, eius contoralem, imperatricem, et a sede apostolica confirmatum, ut notum est<sup>3)</sup> in litteris apostolicis.<sup>4)</sup>

1) Ita titulus hujus manuscripti in codicis indice.

2) In originali manuscripto semper *Ebdomedarius*; ubique emendavimus.

3) Hoc loco signum non eruendum exstat, quod quidem si solvere deberemus, simillimum verbo *Terris* nobis videtur esse.

4) Verba *In litteris apostolicis* in margine addita sunt hoc loco per manum scriptoris totius codicis.

Quoniam que ad Dei laudem omnipotentis omniumque festorum per anni circulum currencium laudabiliter instituta sunt, maxime que a sanctis Dei ordinata sunt, necessarium est imitari et ad futurorum in memoriam commendare, ne quo labente dampnosa austeritas alicuius hominis infra scriptas ordinationes quouis modo violare uel corrumpere presumat: hinc<sup>1)</sup> est quod beatus Henricus quondam Romanorum imperator secundus et Bauarie dux et beata Kunnegundis imperatrix diuino amore inflammati cultum Dei augere cupientes in villa Kouffungen Maguntiensis dyocesis<sup>2)</sup> monasterium<sup>3)</sup> sanctimo(nia)lium ordinis sancti Benedicti in honore sancti saluatoris mundi et beate Marie virginis et apostolorum principum, sancti Petri et Pauli, et omnium sanctorum et viuifice sancte crucis instaurauerunt et dotauerunt, prout hec instauracione et confirmacione monasterij continetur, in quo sex ebdomadarios presbyteros cottidie pro regimine summe misse nec non pro uespertino et matutinali officio in diebus festiuis praeter horas canonicas puellis sanctimonialibus commissas perpetuis temporibus durandum ordinauerunt et tamquam legitimum sempiternum obseruandum statuerunt. Quorum tytuli seu nomina hec sunt: Primus ebdomadarius rector altaris sancte crucis; secundus capellanus capelle sancti Benedicti;<sup>4)</sup> tertius rector parrochialis ecclesie sancte Agathe in Twerne;<sup>5)</sup> quartus rector parrochialis ecclesie sancti Bonifacij in Meymbreschen;<sup>6)</sup> quintus rector<sup>7)</sup> parrochialis ecclesie sancti Johannis<sup>8)</sup> in Wolffsanger;<sup>9)</sup> sextus ebdomadarius rector parrochialis sancti Steffani<sup>10)</sup> in Kouffungen. Hec prenomina sex beneficia inseparabiliter ad summam missam in predicto monasterio sunt annexa et eorum rectoribus tantum et nullis alijs officium summe misse prenotati [sunt] instauratores celebrandum perpetualiter

1) *Hinc* in margine pro uerbo *Sicut* in textu deletum.

2) In orig. *Dyothesis*.

3) Hic syllaba iterata *no* deletum est.

4) Probabiliter capella monasterii et in eodem sita.

5) Modo (Nieder-)Zwehren villa, quinque milia passuum ad meridiem a Cassellis distans.

6) Modo Meimbressen villa, in pago Hasso-Saxonico sita et via directa viginti milia passuum, i. e. duo milliaria Germanica, inter septentrionem et occasum solis a Cassellis distans.

7) Verba *Quintus rector* in orig. bis exstant, cum columnam tertiam folii 207 claudant, quartam incipiant.

8) S. Johannis Baptistae.

9) Modo Wolfsanger, villa peruetusta olim Franconibus et Saxonibus communis, quae tria milia et octingentos passus inter septentrionem et orientem solem a Cassellis abest Fuldaeque fluvio adjacet.

10) Id est: *Altaris* S. Stephani dicti *parochialis* in ecclesia sanctae crucis monasteriali in Kaufungen.

(fol. 208 I.) commendauerunt. Ordo eorum continetur<sup>1)</sup> in hoc versiculo:

Cruz, Benedic, Agatha, Bonifa(c)que Johan quoque Stepha.

Forma autem ebdomadariorum in regimine summe misse est hec: Quod ipsi et nulli alij debent inter se cottidie in ordine predicto celebrare officium summe misse diei proprium in sumo altari sancte crucis. Hoc quidem altare specialiter ad hanc missam in eo perficiendam ordinatum et priuilegiatum est a fundatoribus predictis pro solis ebdomadarijs, qui ibi septimanatim perpetualiter debent celebrare. Quelibet personarum predictarum vnā ebdomadā obseruabit per se vel per alium suum coebdomadariū surrogandum. Et quotiens ebdomade explete fuerint, tociens, qui prior incepit, reinchoabit. Potest eciam quilibet ebdomadarius in necessitate legere missam, prout conueniēcia<sup>2)</sup> temporis, monasterij et personarum necessitas postulauerit. Sed diebus festiuis et dominicis puelle sanctimoniales cum ebdomadario officium misse pariter in binis choris tali ordine decantabunt:

Introitum misse puelle incipient, psalmum ebdomadarius, *Gloria patri* puelle, introitum misse ebdomadarius iterabit, *Kyrieleyson* primum puelle, secundum ebdomadarius, tertium puelle, quartum ebdomadarius, et sic diuisim vsque ad finem. *Gloria in excelsis* ebdomadarius, *Et in terra pax* puelle. Ebdomadarius dicit *Laudamus te*, puelle *Benedicimus te*, et ita proseguendo vsque ad finem. Ebdomadarius dicit *Dominus vobiscum* et leget epistolam, si non habebit ministrantes. Graduale ebdomadarius cum versu, puelle cantabunt (fol. 208 II.) *Alleluia*. Sequenciam incipiunt puelle versum primum, secundum ebdomadarius, tertium puelle, quartum iterum ebdomadarius, et ita proseguendo vsque ad finem. Evangelium dicit ebdomadarius; item dicit symbolum *Credo in vnum Deum*. Offertorium cantabunt puelle; item sanctus, agnus, commūio vsque ad finem puelle conplebunt. Sequitur:

In vesperis diebus festiuis tantum subsequentibus ebdomadarius dicit *Deus in adiutorium*, et puelle sanctimoniales inponent anthyphonam et psalmum versum, primum, secundum versum dicit ebdomadarius, tertium puelle, et ita diuiduntur versus psalmorem vsque ad finem. Capitulum dicit ebdomadarius, responsorium in vesperis inponunt puelle, et versum dicit ebdoma-

<sup>1)</sup> Folium 207 a scriba quodam alieno ab illo, qui ceteras codicis plagulas scripsit, conceptum videtur, qui originali plagula nescimus quo modo deperdita novum substituit; sed timore ne ultra spatium sibi concessum progredetur, litteras densiores posuit, ita ut non solum paginam non plane expleret, sed etiam verba insequentis folii *Commendamur* (postea mutatum in *Commendauerunt*). *Ordo continetur* (sine *Eorum*) textui suo insereret.

<sup>2)</sup> In orig. *Conuenienciam*.

darius cum *Gloria patri*, ympnum inponunt puelle, secundum versum dicit ebdomadarius, tertium puelle, quartum iterum ebdomadarius, et sic proseguendo vsque ad finem; versiculum dicunt puelle. Item anthyphonam et psalmum *Magnificat* inponunt puelle, secundum versum *Et exultauit spiritus meus* dicit ebdomadarius. Et statim ponit incensum et thurificat in summo altari et abbatissam et puellas et ebdomadarios et semper stabit in primo loco. Post *Magnificat* puelle cantabunt anthyphonam, et ebdomadarius dicit collectam. Puelle *Benedicamus Domino* dicent, et ebdomadarius dabit benedictionem cum signo crucis.

In festis natiuitatis Christi et pasche ebdomadarius erit in matutinis et incipiet *Domine, labia mea aperies*; puelle sanctimoniales respondent *Et os meum*. Et iterum puelle. *Venite* cantabit ebdomadarius. Quo expleto puelle incipient anthyphonam et legent omnes psalmos. Ebdomadarius leget lectiones et eciam omeliam; responsoria cum versiculo cantabunt puelle. *Te Deum* pariter puelle cum ebdomadario complebunt. Laudes cum psalmis et cetera (*fol. 208 III.*) vsque ad finem puelle cantabunt. Ad alia autem omnia et singula festa tocius anni, exceptis, vt prefertur, subscriptis, nullus ebdomadarius obligetur nec habet interesse, nisi voluerit.

Hic sequuntur festa prenotata, in quibus fiunt processiones seu staciones per totum circulum anni, quorum sunt in uno viginti tria, et est forma talis:

Primo<sup>1)</sup> in die pasche ad aspersionem aque cantent puelle sanctimoniales *Vidi aquam*. Ebdomadarius dicit versum *Domine, apud te est fons vite* et leget collectam *Presta, quesumus, omnipotens Deus, per huius aque aspersionem*. Et erit stacio ad sanctum Georgium.<sup>2)</sup> Et in exitu monasterij cantatur anthyphona *In die resurrectionis, Cum rex glorie*. In introitu ecclesie sancti Georgij anthyphona *Egregius Dei martyr* incipietur, et fiunt commemorationes sanctorum cum anthyphonis consweticis, et ebdomadarius dicit versiculum cum collecta. Postea in reuersione due puelle sanctimoniales cantent ympnum *Salue festa dies*. Ebdomadarius portabit crucem Christi ante portam monasterij, et ibi inponitur anthyphona *Sedit angelus* a puellis; versum *Crucifixum* et *Recordamini* cantabit ebdomadarius; deinde puelle incipient tropum; postea incipitur summa missa, quam simul puelle cum

<sup>1)</sup> In originali hic verba *Sequuntur tria festa, in quibus fiunt staciones* in margine posita sunt. Cum talia argumenta saepius inueniantur, nos ea in posterum per verba *Nota marginalis* insignia reddemus.

<sup>2)</sup> Ecclesia plebana in Kaufungen, quae fuit vetustior et in parte collis parum altiore sita ecclesia monasteriali, circiter trecentos passus inter occasum solis et meridiem ab illa aberat. Quamvis nullis vestigiis relictis, nihilominus sermo incolarum ex traditione majorum hunc locum, hodie *Pfarrgarten* (hortum parochialem), denotat.

ebdomadario inter se et in binis choris more solito, vt prescriptum est, conplebunt.

In <sup>1)</sup> die sancti Marcij letaniam maiorem ebdomadarius cantat, missam de rogacionibus, officium *Exaudiuit*. Postea portabit crucem Christi per circulum monasterij, et cantent puelle *Exurge Domine, surgite sancti* vel responsorium *Surgens Jesus*. Si festum in ebdomada pasche evenerit, postea dicunt puelle septem psalmos. Et fit stacio ad sanctum Georgium, et ibi fiunt commemoraciones sanctorum cum anthyphonis consuetis. Ebdomadarius dicit versic(u)lum cum collecta; postea reuertitur ad portam monasterij, inponitur anthyphona *Lux perpetua* cum collecta de sanctis.

In <sup>2)</sup> die invencionis sancte crucis ad aspersionem aque *O crux gloriosa*, (fol. 208 IV.) et erit stacio ad sanctum Georgium. Ebdomadarius portabit crucem Christi, et cantent puelle responsorium *In ligno crucis*; postea cantant laudes *Helena Constantini mater*; deinde ante portam ecclesie sancti Georgij inponitur anthyphona de sancto Georgio cum versiculo et collecta, et fiunt commemoraciones sanctorum cum anthyphona consweta, versiculis et collecta. In reditu due puelle cantent ymnum *Salve festa dies*, in introitu porte monasterij anthyphonam *Sedit angelus* vel anthyphonam *O crux gloriosa*; deinde puelle inponunt missam, introitum *Nos autem*, et perficitur officium in binis choris more solito, vt prescriptum est.<sup>3)</sup>

Item <sup>4)</sup> in rogacionibus, feria secunda ebdomadarius cantat missam de die; postea fit stacio ad sanctum Benedictum cum cantu *Exurge Domine, surgite sancti*; postea puelle dicunt septem psalmos. Et ibi fiunt commemoraciones sanctorum cum anthyphonis, versi(cu)lis cum collectis consuetis, quas dicit ebdomadarius et portabit sanctam crucem. In reuersione puelle cantant letaniam specialem *Humili prece*, in introitu ecclesie anthyphonam *Lux perpetua* cum collecta de sanctis. Sequitur:

Item in rogacionibus feria tertia ebdomadarius cantet missam, officium dominicale *Vocem iocunditatis* [dominical(i)s]; postea portabit crucem Christi, et fit stacio ad sanctum *Nicolaum*<sup>5)</sup> cum cantu *Exurge Domine, surgite sancti*. Puelle dicunt septem psalmos. Et fiunt commemoraciones cum anthyphonis, versiculis et collectis consuetis per ebdomadarium; postea puelle cantent letaniam *Ardua spes mundi*, et in introitu

<sup>1)</sup> In orig. nota marg. *Marci evangeliste*.

<sup>2)</sup> In orig. nota marg. *Inventionis sancte crucis*.

<sup>3)</sup> In orig. hoc loco rubro colore notata est *In rogacione*.

<sup>4)</sup> In orig. nota marg. *Rogationum*.

<sup>5)</sup> Capella S. Nicolai intra muros monasterii, ut nobis videtur in coemeterio juxta ecclesiam sanctae crucis olim sita, jam diu sine ullo vestigio evanuit.

monasterij cantatur anthyphona *Lux perpetua* cum collecta de sanctis. Sequitur:

Item <sup>1)</sup> feria quarta in vigilia ascensionis ebdomadarius cantat missam de vigilia ascensionis; postea ebdomadarius portabit crucem Christi cum cantu *Exurge Domine*. Et fit (fol. 209 I.) stacio ad sanctum Geor(g)ium; ibidem in introitu dicitur anthyphona *Egregius Dei martyr* cum versiculis, et collectis; postea puelle legent septem psalmos. Et fiunt commemoraciones sanctorum cum anthyphonis, versiculis et collectis consuetis per ebdomadarium; postea inponent puelle letaniam *Votis supplicibus*. In reuersione cantatur anthyphona *Lux perpetua* cum collecta de sanctis.

Item <sup>2)</sup> in die ascensionis ebdomadarius portat crucem Christi, et fit processio trans ambitum et per circulum monasterij cum responsorio *Omnis pulchritudo*; deinde cantatur *Salve festa dies*; postea laudes *Viri Galyley* et *Ite in orbem*. Item in introitu monasterij cantatur responsorium *Hodie secreta celi*. Et missam puelle inponunt, vt prius prenotatum est; in binis choris completur. Eodem die facto prandio ebdomadarius faciet actum, scilicet ducentes crucem cantando suis pertinencijs ad locum suum.<sup>3)</sup> Sequitur:

Item <sup>4)</sup> in vigilia penthecostes ebdomadarius indutus sacris vestibus leget propheciam sine tytulo <sup>5)</sup> *Tentauit Deus Abraham*, tractum puelle et versum primum puelle, secundum ebdomadarius, tertium iterum puelle; quarta propheta lecta itur ad fontem cum letania *Rex sanctorum*, quam cantent puelle. Deinde ebdomadarius dicit collectam et cantat prefacionem et benedicit fontem. Postea reuertitur ad chorum cum cantu *Kyrie*; hoc puelle incipient. Et perficitur missa ex utraque parte et more solito. Sequitur:

Item <sup>6)</sup> in die penthecostes ebdomadarius portabit crucem Christi, et erit stacio ad sanctum Geor(g)ium et cantent responsorium *Apparuerunt*, (fol. 209 II.) postea laudes *Cum* <sup>7)</sup> *comple-  
rentur*, postea anthyphonam de sancto Geor(g)io cum collecta, et fiunt commemoraciones sanctorum cum anthyphonis et collectis consuetis. In reuersione cantatur *Salve festa dies*, postea respon-

<sup>1)</sup> In orig. nota marginalis *In vigilia ascensionis*.

<sup>2)</sup> In orig. nota marg. *In die ascensionis*.

<sup>3)</sup> Sic clare legitur; sensus quidem huius sententiae nobis admodum obscurus est. Cum vero S. Cunegundis imperatrix in die dedicationis ecclesiae monasterialis una cum sua investitura parvam verae crucis Christi particulam ecclesiae Kaufungensi donasset, illa sanctissima reliquia probabiliter pretiosae cruci metallicaee inclusa ab hebdomadario portanda erat. Verba *Suis pertinencijs* nostra opinione ad verbum *Cantando* referenda sunt.\*

<sup>4)</sup> In orig. nota marg. *In vigilia penthecostes*.

<sup>5)</sup> In orig. post verbum *Tytulo* macula atramenti inuenitur.

<sup>6)</sup> In orig. nota marg. *Penthecostes*.

<sup>7)</sup> In orig. falso *Dum*.

sorium *Advenit ignis Dominus* et (in) introitu anthyphona *Veni sancte spiritus*; postea puelle inponunt missam; more solito conplebitur. Sequitur:

Item<sup>1)</sup> in die corporis Christi ebdomadarius portabit sacramentum Christi et alius sanctam crucem. Et ebdomadarius cantet *O vere digna* tribus vicibus; puelle respondent *Per quam fracta* et cantent responsorium *Accepit Jesus* cum responsorio *Sacerdos verus et pontifex*, et fit stacio ad sanctum Geor(g)ium. Ibi fiunt commemoraciones sanctorum cum anthyphonis et collectis consuetis. In reuersione cantatur responsorium *Vere mira et divina*, et in introitu cantatur anthyphona *O sacrum conuiuium*; postea puelle inponunt missam more solito complendam. Sequitur:

Item<sup>2)</sup> in die sancte Margarethe; ibi est dedicacio monasterij. Ebdomadarius portabit crucem Christi, et puelle inponunt responsorium *Te domine celi celorum*. Et fit stacio ad sanctum Geor(g)ium; ante portam inponitur anthyphona *Egregius Dei martyr* cum collecta; postea fiunt commemoraciones sanctorum cum anthyphonis, scilicet *Chorus Salve regina venerabilis inclita virgo desi(derata)* et collectis consuetis. In reuersione cantatur responsorium *Benedic Domine*, et ostenditur omni populo preciosum lignum sancte crucis, et cantatur introitus *Ecce lignum crucis* trina vice cum psalmo *Beati immaculati*, postea responsorium *Terribilis*. Ad introitum monasterij cantatur responsorium *Visita, quesumus, Domine*; postea puelle inponunt missam *Terribilis*; more solito conplebitur.

Item<sup>3)</sup> in die sancti Henrici (*fol. 209 III.*) imperatoris fundatoris nostri, ebdomadarius portabit crucem Christi cum responsorio de sancto Henrico, scilicet *O Christi Domini cesar, Conuerso ad summum studio*.<sup>4)</sup> Item laudes *Spectate*. Et fit stacio vsque ad sanctum Geor(g)ium. In introitu cantatur anthyphona *Egregius Dei martyr* cum anthyphona<sup>5)</sup> et collecta, et ibi fiunt commemoraciones sanctorum; collectas et versiculos<sup>6)</sup> dicit ebdomadarius. In reuersione cantatur responsorium *Sancte Henrice* et responsorium *Cum adisset*<sup>7)</sup> *rex beatus montem Cassinum*. Ad introitum monasterij responsorium *Gracias tibi rex* et responsorium *Jam sacri principis fama propagatur*; deinde puelle inponunt missam; more solito conplebitur. Sequitur:

Item<sup>8)</sup> in die assumptionis beate Marie ebdomadarius por-

<sup>1)</sup> In orig. nota marg. *In die corporis Christi*.

<sup>2)</sup> In orig. nota marg. *Margarethe virginis*.

<sup>3)</sup> In orig. nota marg. *Henrici imperatoris*.

<sup>4)</sup> In orig. falso *Stadio*.

<sup>5)</sup> Sic in orig.; probabiliter autem loco *Versiculo*.

<sup>6)</sup> In orig. *Versiculum*.

<sup>7)</sup> In orig. falso *Odisset*.

<sup>8)</sup> In orig. nota marg. *Assumptionis*.

tabit crucem Christi, et fit processio ad sanctum Geor(g)ium cum responsorio *Cum iocunditate*. Item laudes *Assumpta est Maria in celum*; item in ecclesia sancti Geor(g)ij anthyphona *Egregius Dei martyr* cum collectis<sup>1)</sup> consuetis, quas dicit ebdomadarius. In reuersione responsorium *Que est ista*; ad introitum ecclesie *Salue Maria ge(nitrix)*; postea missam puelle inponunt seu incipient more solito. Sequitur:

Item<sup>2)</sup> in die natiuitatis sancte Marie ebdomadarius portat crucem Christi, et fit processio ad sanctum Geor(g)ium cum responsorio *Solem iusticie*. Item laudes dicuntur *Natiuitas gloriose*, anthyphona *Natiuitas est hodie Marie*. Item in ecclesia sancti Geor(g)ij anthyphona de sancto Geor(g)io *Egregius* cum collecta, et fiunt commemoraciones sanctorum cum anthyphonis et collectis more solito, quas dicit ebdomadarius. In reuersione responsorium (fol. 209 IV.) *Ad nutum Domini* vel responsorium *Salue Maria ge(nitrix)*. Ad introitum monasterij *Tota pulchra es*; deinde puelle inponent missam more solito.

Item<sup>3)</sup> in die sancte Kunnegundis imperatricis ebdomadarius assumit crucem Christi, et fit processio ad sanctum Geor(g)ium cum responsorio *Surge virgo*; item laudes cantantur *Vinculum caste dilectio(nis)*; ante portam incipitur anthyphona de sancto Geor(g)io cum collecta, et fiunt commemoraciones sanctorum; ebdomadarius dicit versiculos<sup>4)</sup> et collectas. In reuersione cantatur responsorium *Olyua generosa*; item in introitu monasterij cantatur responsorium *O mater nostra*. Postea puelle inponent missam more consueto.

Item in vigilia exaltacionis sancte crucis ad processionem ad sanctum Stephanum.<sup>5)</sup> In principali choro puelle cantent anthyphonam *O crux gloriosa*. Ebdomadarius leget versiculum cum collecta de sancta cruce. Sequitur:

Item in die exaltacionis sancte crucis ebdomadarius portat crucem Christi, et fit processio ad sanctum Geor(g)ium cum responsorio *In ligno crucis*.

Item cantentur laudes *O magnum pietatis opus* et in ecclesia sancti Geor(g)ij fiunt commemoraciones sanctorum cum anthyphonis et collectis consuetis, quas dicit ebdomadarius. In reuersione inponitur *Per tuam crucem*, ad introitum monasterij *Anima mea liquefacta est* vel *Tota pulchra es*. Deinde puelle inponunt missam, introitum, more solito perficiendam.

<sup>1)</sup> In orig. *Collecta*.

<sup>2)</sup> In orig. nota marg. *Natiuitatis Marie*.

<sup>3)</sup> In orig. in superiori margine nota *Kunegundis*.

<sup>4)</sup> In orig. *Versicula*.

<sup>5)</sup> Id est: Ad altare S. Stephani.

Item<sup>1)</sup> in die omnium animarum fit processio per ambitum et cymiterium. (Fol. 210 I.) Ebdomadarius portabit thuribulum et cantabit responsorium *Absolue, Domine Deus eterne, in cuius*, et in reuersione dicitur specialis letania de animabus, cum (sic!) principium est *Oramus te Domine*. Ad introitum monasterij inponitur *Libera me, Domine*, et postea inponitur missa pro defunctis more solito. Sequitur:<sup>2)</sup>

Item<sup>3)</sup> in purificatione sancte Marie ebdomadarius dicit versum *Exultabunt sancti in gloria* et post(ea) collectas et benedicit lumina et canta(t) prefacionem et incipit anthyphonam *Lumen ad reuelacionem gentium*. Postea ad aspersionem inponitur anthyphona *Aue gracia plena* et alia anthyphona *Adorna thalamum*. Et fit processio ad sanctum Benedictum. Ibi in introitu cantatur anthyphona *Hoc erat* et anthyphona *Responsum accepit Symeon*. Ebdomadarius dicit versum *Benedictus, qui venit in nomine Domini* et dicit collectam *Domine Jesu Christe, fili Dei, qui hodierna die in nostre carnis substantia inter homines*. Inde reuertitur ad ambitum cum responsorio *Videte miraculum* et itur per ambitum. Ad introitum monasterij cantatur anthyphona vel responsorium *Cum inducerent puerum Jesum*. Postea puelle inponunt missam more solito. Sequitur:

Item<sup>4)</sup> in die cinerum puelle cantent anthyphonam *Exaudi nos* cum versu. Ebdomadarius dicit versiculum *Domine, non secundum peccata* et collectam *Deus, omnium misericordiarum ac tocius bonitatis auctor*. Puelle imponunt letaniam de sanctis per ambitum. In reuersione cantatur anthyphona *Media uita*. Ebdomadarius dicit versiculum *Peccauimus, Domine, cum pa(tribus)* et collectam *Ineffabilem*. Ebdomadarius inponit anthyphonam *Inmutemur habitu*, deinde anthyphonam *Iuxta vestibulum*, et interim, dum hoc cantatur, ponendi sunt cyneres super caput<sup>5)</sup> seu capita hominum dicendo *Memento homo, quia*, et post datum cynereis ebdomadarius dicit versiculum *Ostende nobis, Domine, misericordiam tuam* et dicit collectam (fol. 210 II.) *Concede nobis, quesumus, Domine, presidia*. Deinde puelle introitum misse inponunt more solito. Sequitur:

Item<sup>6)</sup> in die palmarum erit processio. Ebdomadarius portabit sanctam crucem cum anthyphona *Cum appropinquaret Dominus*, et solet esse stacio ad sanctum Geor(g)ium. Si fuerit aura pluuiialis, tunc ad sanctum Benedictum, et cantatur

1) In orig. nota marg. *In die animarum*.

2) Post *Sequitur* iteratur *Sequitur* rubris litteris.

3) In orig. nota marg. *Purificationis*.

4) In orig. nota marg. *Cinerum*.

5) In orig. *Capud*.

6) In orig. nota marg. rubris litteris *Palmarum*.

*Collegerunt pontifices cum versu Vnus autem*; postea ebdomadarius leget propheciam *Venerunt filij Israel*; deinde dicit ewangelium *Cum appropinquasset*, postea collectam et cantat prefacionem et benedicit palmas, item puelle anthyphonam *Pueri Hebreorum*. In recessu cantatur anthyphona *Cum audisset* vsque ad locum, vbi crux parata iacet. Ibi facit domina abbatissa oraciones ad crucem, et cantatur ympnus *Gloria, laus*, postea anthyphona *Occurrunt turbe fulgentibus*<sup>1)</sup> *palmis*, item ympnus *O crux aue, spes*. In reditu cantatur responsorium *Ingrediēte Domino*, et puelle inponunt missam *Domine, ne longe facias* more solito. Sequitur:

Item<sup>2)</sup> in die cene puelle inponunt officium misse *Nos autem*, et ebdomadarius conplebit officium more solito; post missam denudantur<sup>3)</sup> altaria et lauantur vino et aqua, et cantatur responsorium *Circumdederunt me viri mendaces*. Sequitur:

Item in cena Domini facto prandio immediate domina abbatissa cum suis puellis et presbyteris peragat mandatum ipsum, vt moris est, pedes lauando et manus, et domina prepositissa ordinet, quod epistola legatur sine tytulo, scilicet *Conuenientibus vobis*. Et dominus ebdomadarius faciet benedictionem panis et vini, que tunc diuidantur,<sup>4)</sup> vt moris est, et per dominam prepositissam distribuuntur tam<sup>5)</sup> puellis quam presbyteris ibidem presentibus. Sequitur:

Item<sup>6)</sup> in die parasceve ebdomadarius (*fol. 210 III.*) leget propheciam *In tribulacione*; puelle cantent tractum; postea ebdomadarius leget passionem; postea dicit oraciones et *Flectamus genua*; postea cantet anthyphonam *Popule meus*; puelle dicent *Agios*<sup>7)</sup> *o theos*; chorus dicit *Sanctus*. Postea ostendatur omni populo lignum sancte crucis cum introitu *Ecce lignum crucis*; postea cantatur ympnus *Crux fidelis* et *Dum fabricator mundi*. Postea ebdomadarius portabit crucem ad locum sepulchri cum responsorio *Ecce, quomodo moritur iustus* et in reuersione *Sepulto Domino*. Sequitur:

Item<sup>8)</sup> in vigilia pasche puelle incipient septem psalmos cum letania. Ebdomadarius benedicit ignem; postea puelle cantent ympnum *Inuentor rutuli*; deinde ebdomadarius inponit ympnum *Exultet*<sup>9)</sup> *iam angelica* et benedicit cereum. Postea

<sup>1)</sup> In *Officium Hebdomadae sanctae secundum Missale et Breviarium Romanum Pii V etc.* est antiphona *Occurrunt turbae floribus et palmis*.

<sup>2)</sup> In orig. nota marg. *In die cene Domini*.

<sup>3)</sup> In orig. *Denudatur*.

<sup>4)</sup> In orig. *Diuidatur*.

<sup>5)</sup> In orig. *Tum*.

<sup>6)</sup> In orig. nota marg. *Parasceue*.

<sup>7)</sup> In orig. *Ayos*.

<sup>8)</sup> In orig. nota marg. *In vigilia pasche*.

<sup>9)</sup> In orig. *Exultent*.

ebdomadarius leget propheciam, puelle tractus cantabunt. Deinde puelle incipient letaniam ad fontem *Kyrieleison*; ebdomadarius dicit collectam et cantat prefacionem et benedicit fontem; postea puelle incipiunt *Kyrieleison*.

Et ebdomadarius perficiet missam cum puellis more solito. Sequitur:

Item omnibus et singulis diebus dominicis perpetuis temporibus abbatissa et puelle sanctimoniales predicti monasterij habeant processionem ante summam missam cum vexillis siue crucibus de choro per ambitum dicti monasterij. Et ebdomadarius, quem ordo tangit, precedet cum aspersione more consweto et, si non celebrat de sancto aliquo, habeant stacionem in ambitu. Ante introitum monasterij legendo bipartitu psalmum, scilicet <sup>1)</sup> (*fol. 210 IV.*) *De profundis*, et ebdomadarius leget collectam, scilicet *Deus, in cuius miseracione* et collectam *Fidelium Deus*, et cum cantu intrant monasterium redeundo <sup>2)</sup> ad chorum. Sequitur:

Item in processionibus, in stacionibus, in rogacionibus, in circuitu ambitus ebdomadarius portabit crucem sanctam Christi et, quidquid temporis vel diei proprium fuerit in responsorio vel in anthyphonis, siue sint suffragia sanctorum vel commemoraciones, simul puelle cum ebdomadario decantabunt tam in egressione quam in reuersione. Collectas dicit ebdomadarius. Et conswetudo est, quod quilibet ebdomadarius potest pro alio ebdomadario conseruare et obuencionem et iura altaris pro laboribus suis subleuare.

Item debet perpetualiter quelibet domina abbatissa mente inspicere et corde aduertere varios labores annuos et perpetuos operum spiritalium ebdomadariorum predictorum et illis se graciosam exhibere et benefacere, promouere, verbo et facto prodesse, vt matrem et piam adiutricem se vbilibet exhibere. Et e contrario illi ebdomadarij debent se monasterio et domine abbatisse et in omni loco fideles, fauorabiles et seruales representare.

Pro hijs omnibus implendis et pro laboribus omnium ebdomadariorum per circulum anni faciendis <sup>3)</sup> quelibet domina abbatissa, que pro tempore fuerit, ex corpore monasterij debet dare cuilibet ebdomadario in qualibet sua ebdomada nomine laboris vel precij octo panes prebendales, quorum quatuordecim debent <sup>4)</sup> pistari de vno lymeto siliginis, quatuor panes pro eleemosina, quatuor <sup>5)</sup> denariatos albi panis et duas geltas ceruisie,

<sup>1)</sup> In orig. hoc loco secuta sunt verba *Deus, in cuius miseracione* postea deleta.

<sup>2)</sup> In orig. *Reddundo*.

<sup>3)</sup> In orig. *Faciendorum*.

<sup>4)</sup> In orig. *Debet*.

<sup>5)</sup> In orig. hic sequitur verbum deletum *Denarios*.

que tantum vna vice simul, quantum puellis ceruisia prebendalis solet dari, distribuuntur, sex talenta carniū, videlicet dominica die in pondere duas libras et tertia feria duas libras (*fol. 211 I.*) et similiter quinta feria duas libras in pondere preter festa incurrencia, in quibus eciam dantur carnes, vt supra scriptum est, vel pecunia pro eisdem. Sequitur:

Item <sup>1)</sup> in sextis ferijs tempore suo dantur pisces prebendales secundum consuetudinem. Item in quadragesima in qualibet septimana sex allecia.

Item in die pasche per ordinacionem domine abbatisse infra summam missam preparatur et ordinatur mensa ante altare beate Margarete virginis in ecclesia siue in choro sancte crucis, super quam ponantur noue scutelle inplete carne assata cum duobus frustis <sup>2)</sup> lardi et cum quatuor ovis bulitis. Qua missa finita, benedicentur per dominum ebdomadarium, et per dominam prepositissam distribuuntur tam puellis quam ebdomadarijs ibidem presentibus secundum consuetudinem ecclesie. Sequitur:

Item <sup>3)</sup> in octaua pasche cuilibet ebdomadario sextam partem berne, proprie *eyne bache*, et illa berna debet habere in pondere quinquaginta libras. Sequitur:

Item <sup>4)</sup> in vigilia natiuitatis Christi debet quelibet puella, quam ordo tetigerit, offerre ad altare sancte crucis duos panes prebendales, vnam stopam ceruisie et vnum caseum bouinum. Oblacio pertinet ebdomadario.

Item <sup>5)</sup> ipso die sancti Petri ad cathedram domina abbatissa pro tunc existens <sup>6)</sup> omni anno debet offerre ad altare sancte crucis vnum modium, proprie *eyn scheffel*, diuersorum frumentorum, que oblacio pertinet ebdomadario.

Item <sup>7)</sup> in die sancte Kunnegundis erunt stipendie, et per ebdomadarium <sup>8)</sup> summa missa finita benedicentur panes et ibi panes benedicti distribuuntur puellis et presbyteris ibidem presentibus.

(*Fol. 211 II.*) Item <sup>9)</sup> in die beate Lucie virginis domina abbatissa pro tunc existens <sup>10)</sup> debet omni anno offerre super summum altare sancte crucis vnum caseum ouinum et vnam

1) In orig. nota marg. *De piscibus prebendalibus.*

2) In orig. *Frusteis.*

3) In orig. nota marg. *De lardo dando octaua pasche.*

4) In orig. nota marg. *Nota.*

5) In orig. nota marg. *Cathedra Petri.*

6) In orig. *Existente.*

7) In orig. nota marg. *Kunnegundis.*

8) In orig. *Ebdomidarium.*

9) In orig. nota marg. *Lucie.*

10) In orig. *Existente.*

stopam ceruisie, et oblacio pertinet ebdomadario. Et eodem die erunt stipendie, vt supra in die beate Kunnegundis.

Item ex consuetudine ecclesie Kouffungensis domina abbatissa debet invitare ad prandium secunda feria proxima post diem penthecostes singulis annis puellas et presbyteros ad altare sancte crucis spectantes, pro tunc ibidem presentes, et eosdem bene et laice tractare.<sup>1)</sup>

Item<sup>2)</sup> hoc idem facit domina abbatissa puellas et ebdomadarios invitando ad prandium in die pasche, in die penthecostes, in die assumptionis Marie, in die natiuitatis Christi, in profesto sancti Martinj episcopi, in profesto circumcisionis Domini, similiter ad cenam in profesto trium regum. Et pro tunc ordinat domina abbatissa, quod fiat quedam massa ex farina, melle et speciebus bonis, materna lingua<sup>3)</sup> *eyne teyg*, que tunc debet diuidi et dari puellis et ebdomadarijs cuilibet, vt moris est, causa solacij.

Item<sup>4)</sup> quelibet puella ecclesie sancte crucis in Kouffungen ipsa viuente eligere vnam de suis concapittularibus et ad eandem assumere potest vnum<sup>5)</sup> vel duos de ebdomadarijs, quibus animam suam commendat, vt secundum statuta et consuetudines ecclesie<sup>6)</sup> Kouffungensis faciant pro salute anime sue subscripta, videlicet quod eadem per defunctam electa per integrum annum et per quatuor septimanas omni die feriata pro salute defuncte anime sue offerat ad altare sancte crucis duos panes prebendales,<sup>7)</sup> scilicet *semmelbrocken*, et vnum medionale<sup>8)</sup> ceruisie, dominicis autem diebus et festiuis ferialibus<sup>9)</sup> album panem, scilicet caseum, et vnam stopam (*fol. 211 III.*) ceruisie. Oblacio pertinet ebdomadario.

Item<sup>10)</sup> domina abbatissa pro tempore existens tenetur dare puelle defuncte per integrum annum et per quatuor septimanas post obitum eius inmediate integram prebendam in omnibus, tamquam adhuc viueret, quam ad se puella per defunctam sic electa recipiat et huiusmodi oblaciones faciat de eisdem.

<sup>1)</sup> In orig. nota marg. *Ad mensam.*

<sup>2)</sup> In orig. nota marg. *De ebdomadarijs inuitandis ad mensam domine abbatisse.*

<sup>3)</sup> In orig. *Ligwa.*

<sup>4)</sup> In orig. nota marg. *De electione testamentariorum.*

<sup>5)</sup> In orig. *Vnam.*

<sup>6)</sup> In orig. *Ecclesia.*

<sup>7)</sup> In orig. *Prebendasles.*

<sup>8)</sup> Hanc formam nusquam inuenimus; probabiliter fictio est adiectiva pro Modiolum, i. e. lagoena vel urceus. (Vide Brinckmeier, Gloss. diplom. sub Modiolum, et Du Cange, Glossarium mediae et infimae latinitatis, sub Modiola et Modiolus.)

<sup>9)</sup> In orig. *Ferialibus.*

<sup>10)</sup> In orig. nota marg. *De obitu puellarum nobilium.*

Item <sup>1)</sup> cuilibet domine abbatisse post obitum eius cedet integra prebenda sicut <sup>2)</sup> puelle per integrum annum et per quatuor septimanas, de quibus eciam puella per eandem dominam electa faciat oblationes, vt prefertur. Oblacio erit ebdomadario. Pro salute anime sue domina abbatisa tunc nouiter electa prebendam exponat.

Item cuiuslibet domine abbatisse Kouffungensis defuncte anniuersarius inmediate vno anno et quatuor ebdomadis post obitum suum transactis anuatim in altari sancte crucis peragi debet perpetuis temporibus ad summam missam. Et domina abbatisa tunc temporis existens offerre debet pro salute anime eiusdem <sup>3)</sup> vnum caseum ouinum et vnam stopam ceruisie bone. Oblacio pertinet ebdomadario.

Item <sup>4)</sup> ex iure et consuetudine ecclesie Kouffungensis huc vsque introducta quilibet puer nobilis siue puella in assumptione eius per dominam abbatisam et puellas capit(u)lares inibi ad prebendam tenetur et debet domine abbatisse et cuilibet puelle dare clenodium seu clenodia, sicut <sup>5)</sup> fieri est consuetum, et cuilibet de sex ebdomadarijs ibidem vnum florenum seu vnum par caligarum valens florenum.

Item <sup>6)</sup> quilibet ebdomadarius seu ebdomadarios ecclesie sancte crucis in Kouffungen, videlicet rector altaris sancte crucis ibidem, rector capelle sancti Benedicti ibidem, plebanus in Twern, plebanus in Meynbressen, pleban(us) in Wolfesanger et plebanus in Kouffungen post beneficiorum (*fol. 211 IV.*) suorum adeptionem et, postquam ad beneficia eorum predicta fuerint investiti, statim domine abbatisse ex iure et consuetudine ecclesie Kouffungensis dabit duos florenos seu clenodium in valore duorum florenorum et cuilibet puelle vnum florenum, puellis in scolis existentibus dabit medium florenum et campanario octo vlnas panni communis colorati.

Item <sup>7)</sup> domina abbatisa in Kouffungen, puelle inibi, beneficiati ibidem, religiosi et religiose cum earum familia et familiaribus cottidianis et habitantes in domibus liberis ibidem prope ecclesiam Kouffungensem <sup>8)</sup> spectant, quantum ad ius parrochiale, ad rectorem capelle sancti Benedicti. Alij omnes et singuli spectant ad plebanum in Kouffungen.

1) In orig. nota marg. *De obitu abbatisse Kouffungensis.*

2) In orig. *Sicud.*

3) In orig. *Eijsdem.*

4) In orig. nota marg. *De statutis dandis.*

5) In orig. *Sicud.*

6) In orig. nota marg. illegibilis, quia valde evanida.

7) In orig. nota marg. *De plebano sancti Benedicti.*

8) In orig. *Kouffungensi.*

Item notandum, quod altare sancti Stephani in ecclesia sancte crucis Kouffungensi situm nuncupatur altare parrochiale, ex quo, quia tempore necessitatis commune est plebano ecclesie sancti Benedicti ex merito et debito, quia in suis terminis est<sup>1)</sup> situm, et dicitur idem altare altare parrochiale ex eo, quia plebanus ecclesie sancti Geor(g)ij aut suus capellanus ipsius nomine missam parrochiam solent in eodem celebrare et etiam funera sua peragere ratione ordinationis super eodem.

Item quilibet in ecclesia Kouffungensi beneficiatus et etiam presbyteri alieni seu aduenientes religiosi aut seculares possunt missam super eodem altari celebrare cantando seu legendo, similiter et super alijs altaribus in eadem ecclesia situatis ratione priuilegiorum ecclesie eiusdem, altari sancte crucis ibidem excluso, super quo soli domini sex ebdomadarij ex ordinatione sancti Henrici (*fol. 212 I.*) et beate Kunnegundis, sue conthoralis, sub pena eterne dampnacionis solent celebrare. Oblaciones vero facte super altaribus ibidem omni tempore sunt celebrantis.

Item<sup>2)</sup> quocienscumque necesse fuerit, tociens puelle debent in capitulo suo cum consilio suorum ebdomadariorum concorditer eligere vnam ydoneam, habilem et probam puellam in abbatissam aut ex inflacione spiritus sancti vel sub iuramento.

Item cum abbatissa electa fuerit, ex tunc puelle presentent abbatissam electam dominis ebdomadarijs predictis, qui tunc eam ducant ante altare sancte crucis, vbi tunc ad sancta Dei ewangelia corporale prestat iuramentum, quod velit ecclesiam Kouffungensem et omnia statuta eiusdem,<sup>3)</sup> consuetudines, obseruancias et ordinationes antiquas in esse fideliter conseruare et puellas et ebdomadarios et personas eiusdem<sup>4)</sup> ecclesie cum effectu defendere. Et iuramentum tale est, vt sequitur:

Quod<sup>5)</sup> ego N. nunc et antea sim fidelis ecclesie sancte crucis in Kouffungen, puellis et personis inibi beneficiatis ac iura et bona ipsius ecclesie pro posse meo defendam et statuta et consuetudines, obseruancias et ordinationes antiquas, edita et editas, ipsius ecclesie inuolabiliter obseruabo.

Hec ego iuro, vt me Deus adiuet et conditores sanctorum ewangeliorum.

Item quo facto, vt prescriptum est, ex tunc ebdomadarij siue canonici abbatissam electam leuando super altare sancte crucis inponunt cantando *Te Deum laudamus.*

<sup>1)</sup> In orig. hoc loco nonnullae litterae, probabiliter et vel sit, deletae sunt.

<sup>2)</sup> In orig. nota marg. *De abbatisse electione.*

<sup>3)</sup> In orig. *Eiusdam.*

<sup>4)</sup> In orig. *Eiusdam.*

<sup>5)</sup> In orig. nota marg. *Juramentum abbatisse.*

Item<sup>1)</sup> quocienscumque oportunum fuerit, abbatissa pro tempore existens et puelle debent cum consilio sex ebdomadariorum siue canonicorum concorditer eligere vnum probum, abilem et prudentem virum in advocatum debito (*fol. 212 II.*) iuramento, quod velit fideliter preesse ecclesie et domine abbatisse, puellis et presbyteris et personis, et obseruancias et consuetudines antiquas ecclesie obseruare et presertim omni anno computum facere domine abbatisse et puellis in presencia ebdomadariorum siue canonicorum et amicorum ecclesie de receptis et expositis.

Item consuetudo est, quod, quando domina abbatissa et officiius ibidem in Kouffunge(n) volunt coniunctim siue diuisim cellarium, pistorem aut cocum conducere, idem conductus debet facere promissum manuale, quod velit esse fidelis ecclesie sancte crucis, puellis et sex ebdomadarijs ibidem et eisdem panem, ceruisiam, carnes et [per]<sup>2)</sup> alia per ipsos ex parte ecclesie et abbatisse<sup>3)</sup> danda ministrare de tempore in tempus, secundum quod cuilibet eorum pertinet.

Item simile promissum fiat per magistrum colonum, *den habeman*, et custodem siluarum tempore conductionis eorundem.

(In sequenti fasciculo materia incoepa finiatur.)

## Das Stift Goldenkron zu Anfang des 30jährigen Krieges.

Aus einer handschriftlichen Klosterchronik mitgetheilt von Ferd. Tadra.

Auf S. 263 des X. Jahrganges dieser Zeitschrift geschieht eine Erwähnung des im Jahre 1620 stattgefundenen Ueberfalles des Stiftes Goldenkron durch Mannsfeldische Truppen. Da über diese Begebenheit bei den Schriftstellern widersprechende und nicht begründete Angaben sich vorfinden, so z. B. dass dabei 16 Mönche ermordet wurden (während das Kloster zu jener Zeit kaum mehr als 6 Mönche zählte), so dürfte eine eingehende Beschreibung des Ueberfalles und der dabei stattgefundenen Plünderung des Klosters, wie sie von einem Augenzeugen gegeben wurde, nicht ohne Interesse sein.

Unter den nach Aufhebung des Goldenkroner Klosters an die k. k. Universitäts-Bibliothek zu Prag abgegebenen Handschriften und Urkunden befindet sich auch eine handschriftliche Klosterchronik (unter dem Titel: „*Descriptio foundationis, progressus casuumque tristium regii monasterii B. M. V. de S. Corona ord.*“

<sup>1)</sup> In orig. nota marg. *De aduocato eligendo.*

<sup>2)</sup> Vel *Par?* In orig. enim solum exstat *p* cum signo abbreviationis; aut *per* ob concurrentiam cum: *per ipsos* omittendum.

<sup>3)</sup> In orig. *Abbatissa.*